BRUNO DE SEGNI

Oberitalien, 1. Hälfte 14. Jh.

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8454
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

quia non est personarum acceptor deus, sed in omni gente qui timet eum et operatur iustitiam acceptus est illi. Unde et apostolus ait: Videte fratres quia non multi nobiles secundum carnem, non multi potentes vel sapientes sunt inter nos. Sed que stulta sunt huius mundi elegit deus ut perdat sapientia, et infirma mundi elegit deus ut confundat fortia. Si igitur solos sapientes divites nobiles et potentes apostoli admonuissent et predicassent, tunc de sectis lapidibus altare construere conarentur. Sed quia hii tales magis terrena quam celestia appetebant, apostolorum predicationem et Christi passionem stultitiam reputabant. Unde apostolus: Nos predicamus inquit Christum crucifixum, Iudeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam. Ideo autem subditur: Si enim levaveris cultrum tuum super eo, polluetur. Quid enim per cultrum nisi gladium spiritus, quod est verbum dei? Hic autem culter ad mactandam hostiam super altare levatur, quando super populum Christi passionem et qualiter agnus in cruce immolatus fuerit doctores exclamant. Polluitur ergo culter, id est sanctorum predicatio super tali altari elevata, quando contemptui et derisioni ab eis habetur. Unde ipse dominus ait: Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas ante porcos. Sequitur: Non ascendes per gradus ad altare meum, ne reveletur turpitudo tua. Ecce iam aliud altare ceterisque excellentius, ad quod per gradus tamen ascendere interdicitur. Hoc enim altare fides est trinitatis, ad quam ille quidem per gradus ascendit qui maius et minus in trinitate credit et intelligit. Plane igitur et non per gradus ad hoc altare ascendamus et patrem et filium et spiritum sanctum equales esse credamus. Per gradus enim Arrius ad hoc altare ascendit, ideoque eius turpitudo, eius stulta et nephanda heresis cunctis gentibus est revelata. Ascendens enim cecidit fusisque visceribus turpiter et inaudita morte interiit.

Hec sunt iudicia que propones filiis Israel. Si emeris servum hebreum, sex annis serviet tibi, in septimo egredietur liber gratis. Cum quali veste intraverit cum tali exeat. Si habens uxorem, et uxor egredietur simul. Quid enim per hebreum qui transiens interpretatur nisi eos qui ad ecclesiam et ad fidem catholicam transeunt intelligimus? Hos autem Christus dominus noster, qui per Moysen cui ista dicuntur significatur, suo pretioso sanguine emit. Sed quia in sex diebus factus est mundus et in sex etatibus consistit, frequenter per sex annos vel dies omne vite huius tempus intelligitur. Sex igitur annis servit qui omni tempore vite sue servit. Sunt autem servi qui fideliter serviunt et a domini sui servitio et servitute numquam recedere volunt. Sunt autem alii qui quamvis servire videantur et in domo domini sui que est ecclesia omni vite sue tempore conversentur, graviter tamen ferunt servitutem. De talibus ergo dicitur: In septimo anno egredietur liber gratis. Bonus et clemens dominus, qui quamvis servum suum infidelem et nequam esse sciat, de domo tamen eum non expellit. Expectat septimum annum, expectat finem ebdomade et terminum vite. Et si vel tunc conversus penituerit et nocivam libertatem non dilexerit, adhuc cum domino suo poterit habitare. Alioquin egredietur liber, sed mala libertate. Soli enim illi liberi sunt qui domino serviunt. Et gratis quidem liber egreditur, quia nichil apud dominum de eius pecunia vel substantia retinetur. Unde et subditur: Cum quali veste intravit cum tali exeat. Male quidem indutus venit et male indutus recedit, quoniam illam vestem candidam perdidit quam in baptismo suscepit. Induitur autem prima veste prime quoque conversationis indumento. De hac enim veste ecclesia dicit: Expoliavi me tunica mea, quomodo induar illa? Que enim sic loquitur non vult a dei recedere servitute. Si habet uxorem et uxor egredietur simul. Malum maritum mala uxor sequatur. Hec enim uxor vana religio et stulta mundi huius sapientia intelligitur. Hec uxor malos et vitiosos filios gignit et nutrit. De hac enim avari superbi et raptores oriuntur. Hec igitur tam impia pellatur de ecclesie penetralibus.

Si autem dominus suus dederit illi uxorem et pepererit filios et filias, mulier et liberi eius erunt domini sui, ipse vero exibit cum vestitu suo. Nulli servorum fit violentia, nullus retinetur invitus. Vult recedere, relinquat dominicas vestes, recipiat proprias, eas videlicet de quibus modo superius diximus. Huic enim servo dominus suus dedit uxorem sanam scientiam et ecclesiasticam religionem. Que peperit ei filios et filias, per quos mores honestos et virtutes intelligimus. Tales enim filios et filias generat christiana religio. Hec mulier cum liberis